

Super hos quoque fámulos tuos,
quásumus, Dómine, placátus inténde,
quos tuis sacris altáribus servitúros
in offícium diacónii suppliciter dedicámus.

Emítte in eos, Dómine, quásumus,
Spíritum Sanctum,
quo in opus ministérii fidéliter exsequéndi
múnere septifórmis tuæ grátiae roboréntur.

Abúndet in eis evangélicæ forma virtútis,
diléctio sine simulatióne,
sollicitúdo infirmórum ac páuperum,
auctóritas modésta,
innocéntiæ púritas
et spirituális observántia disciplínæ.

In móribus eórum præcépta tua fúlgeant,
ut suæ conversatiónis exémplo
imitatiónem sanctæ plebis acquirant,
et, bonum consciéntiæ testimónium præferéntes,
in Christo firmi et stábiles perseverént,
quátenus, Fílium tuum,
qui non venit ministrári sed ministráre,
imitántes in terris,
cum ipso regnáre mereántur in cælis.

Qui tecum vivit et regnat
in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sæcula sæculórum.


Omnes:

Amen.


Traditio libri Evangeliorum

208. **Finita Prece Ordinationis, omnes sedent. Episcopus accipit mitram. Ordinati surgunt, et aliqui diaconi vel alii ministri imponunt unicuique stolam more diaconali et eum induunt dalmatica.**

209. **Interim cani potest antiphona:**



[VIII] **Be-á-ti qui há-bi-tant * in domo tu-a, Domi-ne.**



T. P. Alle-lú-ia. E u o u a e.

cum Psalmo 83 (84), vel alius aptus cantus eiusdem generis qui conveniat antiphonæ, præsertim quando Psalmus 83 (84) tamquam psalmus responsorius in liturgia verbi adhibitus fuerit.

Psalmus 83 (84)

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! *

Concupíscit et déficit ánima mea
in átria Dómini.

Cor meum et caro mea *
exsultavérunt in Deum vivum.

(Repetitur antiphona)

Etenim passer invénit sibi domum, †
et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: *
altária tua, Dómine virtútum,
rex meus et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua: *
in perpétuum laudábunt te.

(Repetitur antiphona)